

num, vt puta vinearum, siluarum, agrorum, animalium et quarumcunque aliarum rerum, ubicunque habentium et reperientium, ab omni datio, gabela aut targovina. Item omnes et singulos fideles nostros, presentes et futuros, facimus exemptos et liberos ab omni angaria reali et personali, in emendo siue destinando, in exercitu aut hostilicio siue voyscina sclauae, aut pro causis dictis soluendo quomodocunque aut qualitercunque. Item promittimus dictis nostris fidelibus, presentibus et futuris, quod per nos et heredes successoresque nostros nunquam impositiones, taxam siue collectionem aliquam aliquando vel causa ponere eis et suis heredibus amodo in antea in perpetuum volumus; tamen quod dicti fideles nostri teneantur et solvere debeant dacium siue targovinam usitatam iuxta continentia dicti statuti. Item concedimus eisdem fidelibus nostris, ut amodo in antea et in perpetuum eligant ad suum velle et beneplacitum singulo anno iudices duos, qui iudicare debeant in ciuilibus et criminalibus, una cum vice-comite, ad Regimen loci nostri eiusdem destinato singulo anno, et cum per nos de anno in annum destinabitur, qui iuuare teneatur reddere ius et iustitiam petentibus, una cum iudicibus dictis, secundum formam iuris statutorum supranominatorum, bona fide et sine fraude. Quos Vice-Comitem et iudices, qui pro tempore erunt, exemptos facimus et liberos a dicta targovina. Item quod omnes et singule condemnationes pecuniarie, que per dictos Vice-Comitem et iudices fient, diuidant per tertium, due videlicet partes devenire in nos et Comites debeant, tertia vero pars in comune dicte terre nostre. Exemptos denique facimus a dicta targovina omnes fideles nostros dictos de omni eo et toto, id quod in dicta terra nostra et eius districtibus ac extra siue alibi pro suo et domorum suarum usu emerent. Que omnia et singula, in suprascriptis Capitulis contenta, damus, et libere dictis fidelibus nostris concedimus amodo in antea et in perpetuum, promittentes de ratiabitione semper per nos et heredes nostros atque successores perpetuo, ipsa omnia et singula suprascripta firma et rata habere, tenere et non contrafacere uel uenire, per nos uel alium, aliqua ratione uel causa, de iure uel de facto, sed potius ipsos manutenere, defendere, autorisare tanquam fideles nostros et benemeritos. In quorum fidem presentes fieri iussimus nostrorumque sigillorum appensione muniri. Datum sub nostro castro Pocitel, in villa vocata Podgradie, tempore Illustrissimi et Serenissimi Domini Sigismundi, Dei gracia Regis Hungarie, Dalmatie, Croatie et Bohemie nec non Incliti Regis Romanorum semper Augusti, currentibus Annis Domini nostri Jesu Christi natiuitatis eiusdem Millesimo quadringentesimo tricesimo secundo, Indictione decima, die vigesima mensis Octobris. Nos itaque suis iustis, congruis vt puta et legitimis petitionibus annuere volentes, prefatas litteras non abrasas, non cancellatas, nec viciatas reptas, sed omni vicio et suspitione carentes, considerantesque in mentibus nostris et reuoluentes, dignum et congruum esse, dare unicuique quod suum est, iustitia suadente, et precipue digna opera et seruitia fidelia congruis honoribus, comodis, opportunis et amplissimis donis fidelibus suis retribuere seruitia et fidelitates suas, visis etiam et prospectis Priuilegijs predictis et testificacionibus nostrorum Progenitorum de fidelitate et bonis operibus dictorum Nobilium Scrisiensium, eis ostensis et demonstratis, cum effectibus operum. que omnia secuta nos docent, quia etiam nobis unquam desisterunt seruitia bona nec desistunt facere, non parcendo laboribus nec expensis, et in rebus arduis et nostrum statum opportunos semper fidelissimos et promptissimos ad exaltationem culminis status nostri reperimus, et quia, ut notum